

190

in Martio in nidum ipsum ruit, et se radiis ferventibus objicit solis, et illos resplendentia pennarum multiplicat et alarum plausu voluntarium sibi nutrit incendium et incensis lignis se cum nido incinerat sique iterum de cineribus suis resurgit. Et hoc communiter in Arabia facit, quamvis et in Aegypto, ut dictum, factum sit. De quo etiam Albertus, ubi supra, mentionem facit, et Isid. et Amb. et Alanus. Tradit Cornelius Valerius tempore Claudii principem phoenicem volasse in Aegyptum, et ibi captum (b) fuisse et in urbem Romam allatum imperatori. Templum ergo phoenicis in Heliopolis non corruit, quia sanctum. Creditur etiam, quod beata Virgo degens in Aegypto prope templum hoc habitationem habuerit septem annis. Sunt enim una civitas Heliopolis, Hermopolis, Busiris, Cayrum, Babylonia, Thebea, Massora, Memphis, ut plenius supra fol. 93. est dictum.

Omnia ergo idola per Christi ingressum fuerunt prostrata, et successive omnis immunditia ab Aegypto eliminata, ita, ut illud Romanorum V. impletum sit, ubi superabundavit delictum, superabundavit et gratia. Terra enim illa prae aliis abundavit terris in martyribus, in doctoribus, in confessoribus, monachis et virginibus.

Primo abundavit in martyribus, ibi enim innumeri pueri innocentes necati fuerunt a Pharaone Chenere, qui, ut opprimeret et humiliaret seniores filios Israel, infantulos in flumen jussit projici, Exodi I. et II. Et praeter hoc mira malignitate desaevit in populum, nec potuit ejus saevitia mitigari maximis miraculis nec durissimis plagis, ut patet Exod. per totum. In Aegypto fuit lapidatus Jeremias propheta a suis contribulibus Judaeis propter veritatis anuntiationem, quem gentiles Aegyptii honorifice sepelierunt juxta tumulos regum una juxta pyramides, de quibus supra fol. 79. dictum est. Oratione enim sua fugaverat a terra aspides et cocodrillos, qui nimis increverant et populum gravabant maxime; et ideo populus memor beneficii eum sepelivit, quem tamen postea Alexander Magnus extumulavit et in Alexandriam transtulit. Dicitur autem, quod hodie pulvis terrae loci, ubi propheta sepultus fuerat, sanet morsus serpentum et aspidis. De his loquitur Magister in Speculo histor. in fine Tobiae.

Deinde post Christi mortem quis numerare posset martyres occisos in Aegypto, quorum primicerius exstitit S. Marcus evan-

